

COMPARATIO
PEREGRINATIONIS ET CONJUGI;
Florentissimo Sponsorum Compari,
Per-Peverendo, Nobili, Amplissimo Consultissimoq; Viro,
DN. GABRIELI LUTHERO,

J. U. L. Serenisf. Potentissimiq; ELECTORIS
BRANDENB. Aulæ & Camerae CONSILIARIO,
nec non Capituli D. Matie Halberstadiensis
designato CANONICO,

Et
*Nobili, atate, formâ & Virtutibus
ornatissima Virgini,*

ANNÆ ROSINÆ,

Nobilis, Amplissimi, Excellentissimiq;

VIRI

Dn. MARTINI WEISI,

Hereditarii in Panco,

Philosophiæ & Med. Doct. celeberrimi,

Serenissimi ELECTORIS BRANDENB.

CONSILIARI & ARCHIATRI *meritissimi,*

FILIÆ,

Wratislaviâ missa, & Nonis Maji Juliani

ipso Nuptiis præstituto festo, A. C. cId Idc LV.

officiosè oblata,

â benevolo amico

CHRISTOPHORO COLERO

PROFESS. P. ET BIBLIOTHECARIO.

Wratislavia,

Typis Baumannianis exprimebat Gottfried Gründer.





Vetustissima, & tot seculorum usu recepta est sententia, seu opinio tantum, quam alii veterum Philosophorum, Pythagoræ, alii Platonis, alii Empedocli Agrigentini adscribunt; *similia similibus cognosci.* Ac ejus rei quidem visus est Democritus aliquas probabiles & præstabiles afferre rationes. *Animantia enim, inquit, simul congregantur cum animantibus;* ut gryphes cum gryphibus, leones cum leonibus, Elephantes cum Elephantibus; aquilæ cum aquilis, milvi cum milvis, vultures cum vulturibus; grues cum gruibus, columbæ cum columbis, & id genus alia fera & cicuria, bruta, & bestia, cum sui simillimis, volatilibus, insectis, natatilibus, serpentibus & reptantibus. Hæc ipsa similitudo etiam rebus inanimis inest: Uti videre est in feminibus, quæ cribrari, & in lapillis, quæ è fluctibus marinis educi aut extrahi solent. Ac Empedocles ipse apud Sextum Empiricum, luculentum sectæ dubitantium Pyrrhonicorum Interpretem, hoc ipsum solidis rationibus demonstrat, & evidentibus rerum naturalium exemplis, illustrat. *Nos enim, inquit, terram terrâ, undâ undam, ærem ære, ignem igne, conspeximus & arbitrati sumus; Lis est lite visa, amore visus est amor.* Cognata igitur ejusmodi rerum similitum affectio, quam Rhetores *Comparisonem* appellant, cum scilicet res inter se ob quandam similitudinem comparabiles conferuntur, & si ad vehementiores motus, non admodum valida sit, neq; ad acriorem disputandi rationem admodum faciat; tamen jucundâ byssinorum & vinnulorum verborum dulcedine, mirificè delectat,

delectat, & Auditorem aut Lectorem conciliat. Sed ut missis illis Philosophorum disceptationibus, ad usitatiorum *Rhetorum Comparationes* Personarum & rerum digrediamur, respectu Illustrium Togâ & Sago, Literis & Armis Personarum, singularis est Scriptor Chæronensis, dignus, quem omnes Principes legant, quia mirificè judicium format, & planâ viâ ad Virtutem pariter & Prudentiam ducit. Ille enim utrinq; optimus Magister Parallelas Illustrium Græcorum & Romanorum Comparabilium Vitas, vivo penicillo, & vivis coloribus expressas, & Picturas loquentes, theatro Orbis contemplandas & arbitrandas proposuit. Nam cogitanti illud Æschyli, *tali ac tanto viro quis similis? quis comparatione proximus? quis indivulsus Comes ac socius constituendus?* Visum est conditorem Athenarum Theseum, cum primo Urbis Romanæ Conditore Romulo, componere. Deindè conditis Urbibus, vincula constringendorum & coercendorum Civium, Leges & Jura, conjungere voluit, & Legislatores utriusq; Reip. Lycurgum, & Numam Pompiliam conferre, ut utriusq; Patriæ imperium armis quæsitum, religione & justitiâ contineret, & utriusq; Reip. populus sensim coalesceret. Hinc salutaris idem Doctor, sapientiæ & prudentiæ simulacra, & illustria pacis & belli artibus exempla, Solonem cum Poplicola, Themistoclem cum Camillo, Periclem cum Fabio Maximo, Alcibiadem cum Coriolano, Aristidem cum Catone Majore, Philopæmenem cum Q. Flaminio; & plurimos alios in utraq; gente eminentes Viros proponit & componit. Ut verò Personarum apud veteres comparationes usu receptæ, ita nec rerum similitum sunt absurdæ: siquidem earum similitudo tam varia est, ac ipsa natura. Quis enim nescit, unam Remp. cum aliâ Rep. Ecclesiam cum Ecclesiâ, Academiam cum Academia: Virtutem cum Virtute: Scientiam cum Scientiâ; Artem cum Arte conferri posse? Eloquentiam sanè cum Philosophiâ comparari posse, nemo saniorum hominum dubitat.

Isænius Sapiens noster, masculæ sapientiæ & Atticæ Eloquentiæ exquisitissimus Doctor, olim Vitam Rusticam, Columellæ iudicio, *proximam & quasi consanguineam sapientiæ*, cum Urbanâ & Aulicâ, negotiosâ, operosâ & ærumnosâ, aptè & concinnè contulit, & utriusq; diversitatem & discrimina notavit. Ac clarissimus Belgarum Poëta & Orator, *Caspar Barlaus*, Mercatorem sapientem, sive Orationem de jungendis Sapientiæ & Mercaturæ studiis comparatè edidit: ac insignem Classis Hispanicæ Anno superioris Seculi LXXXVIII. à Philippo II. Rege adversus Angliam, à summo Præfecto Britaniæ Francisco Draco victæ, cum nuperâ anno XXXV. emissâ Hispanorum Classe, à Belgarum Classiario Clarissimo *Martino Trompio*, in freto Britannico dissipata, Comparisonem instituit. Idem disertissimus auctor Orationem Nuptialem, quâ Philosophia omnis Nuptiis applicatur, cum ingenti acuminis & Artis laude publicavit. Illorum veterum paritèr & recentium Semonum exemplo inductus & ego, à Literatissimo & Humanissimo Viro *Georgio Stirio*, expeditissimo tuo heic loci Mercurio, officiosè invitatus & instantèr rogatus, ut Tibi, *Amplissime & Consultissime Vir*, GABRIEL LUTHERE, post tres susceptas & finitas fructuosas Peregrinationes, jam in portum appellenti, & pro precio aut præmio exantlatorum laborum, verum ufumfructum cum decente voluptate sentienti, & DEO ità providente, præcellentibus Corporis & Animi dotibus ornatisissimam Virginem, ANNAM-ROSINAM WEISIAM desponsam nanciscenti; Epithalamio quodam FELICITER illud acclamarem; & communis Amici precibus, & tuo Honori velificari lubens meritò volui. Misso autem vulgari poëtandi & gratulandi more & modo, ad Orationem quandam Nuptialem meditandi & condendi, Græcis olim usitatioem, quàm Romanis, secessi. Quia verò inter Progymnasmata Veterum Græcorum, Comparationes aptæ & concinnæ non ultimum habere locum videntur, ideoq; ,

Sponse

Sponse mellissime, in Tui atq; Speratæ Tue gratiam & Honorem, Nuptialis loco donarii, *collatas invicem tuam Peregrinationem Ulysseam*, cum Penelopeo Tuo conjugio, Tibi officii & amicitiae causâ offero, dedico, consecroq;. Ut in fabulis Poëtarum, in Cadmi & Harmonies Nuptiali celebritate Musæ cum multiformi Carminis genere, comparuerunt, aliiq; insuper Dii, cum vario offerendorum munerum schemate affuerunt: ita etiam Nuptiales Tui Convivæ, gente & mente præsignes, Literis & Armis præpollentes, Heroes & Heroïdes Marchicæ haud dubiè convenient, ac certatim aurea, argentea, gemmea dona conferent; alii Veris ornamenta, & odoramenta, coronas, ferta & limniscos: alii Carmina Spiritûs plena, doctrinis referta, & elegantiae rore & melle rorantia & sudantia offerent. Quid verò ego nudus, inops & egens rerum illarum speciosarum & preciosarum, Symboli loco adjiciam? Sed ne ego, ut comes & umbra aliorum, planè A symbolus accederem, ex meo censu & arcâ, ut sic dicam, ingenii tenui & exili profectum, chartaceum hoc munusculum, Palladi tamen & Suadæ non ingratum, exemplo doctæ & sapientis Antiquitatis Græcæ, in Templo Divæ Monetæ ad Aram Perennitatis, tholo suspensum exhibeo: eâ spe & exspectatione fretus, fore illud qualecunq;, & vobis, *lectissimi Sponsi*, gratum & acceptum; dum utriq; vestrûm Alterius Amantis effigiem affabrè fictam, & graphicè pictam, ad intuendum & contemplandum, in teatro animorum vestrorum, propono. Ut verò Parallelismo nostro initium faciamus, si Plato, quidam quasi Deus Philosophorum, summatim, *Peregrinationem quandam esse hanc vitam*, dixerit; & mihi particulatim, comparatè tamen *Peregrinationem quandam esse statum conjugalem* dicere licuerit. Placet mihi & arridet ea mens, quæ altissimis mortalium indita est, quæ lustrandis terrarum tractibus, & noscendis gentium, ac hominum singulorum, ingeniis & moribus dedita est. Humiles sanè & exiles sunt illæ animæ, quæ semper ut Cochleæ

domiportæ humi desident, & affixæ semper sunt suæ terræ, suæ Urbi, suo lari, planè ignoti, obscuri & inglorii Umbra-
ticolæ & Tenebriones: at illa ignea, volucris, cœlestis & divi-
na est, quæ altiùs se tollit, volat, & cœlum imitans motu gau-
det. Quære prisco ævo viri magni, alti, consummati, æterni,
Plato, Pythagoras, Democritus, & alii Sapientes eâ animi
intentione fuerunt; qui relictâ ingeniorum officinâ, & penu
ac promptuario omnium Scientiarum & Artium Græciâ, non
ad cultos solùm, sed etiam barbaros populos, ex acri quadam
videndi, audiendi & discendi cupidine, tanquàm calcaribus
& stimulis accensi & incitati, peregrè abierunt. Ac Prifeis
ævo nostro consimiles multi ad exteras regiones & nationes
perlustrandas peregrinati sunt. Quis nescit, ut è multis sal-
tem obvios recenseam selectiores, uberrimum illum Gallo-
rum Livium, *Jac. Augustum Thuanum*, Italiam, Hispaniam,
Superiorem & Inferiorem Germaniam, hinc inde olim Juve-
nem judicio maturum visitasse, ut non tantùm Arcana Statûs
& Rationes Imperii & Regnorum exploraret; sed etiam,
æternum suum Historiarum Opus, necessariis Vitæ civilis
præceptis & Exemplis externis ditaret & dotaret? Quis non
audivit, Uniones illos Germaniæ inæstimabiles, *Marcum vel-
serum Duxim-Tirum Augustanum*, *Hippolytum à Collibus*, *Marquar-
dum Freherum*, *Georgium Michaelem Lingelshemium*, Palatinos il-
los Consos & Nestoras, ac *Camerarios* Norimbergensis Reip.
gemmas, & innumera alia Virtutum Civilium simulacra, post
absolutum Scientiarum Orbem, nutriculam Prudentiæ Civi-
lis, quam Peregrinationem nuncupamus, in supplementum
Studiorum, & rerum imposterum publicè gerendarum prolu-
dium, exercuisse? Sed nè peregrinos & remotiores à nobis
solùm commemorem puerum sane & peregrinum in Silesiâ pa-
triâ nostrâ eum esse oporteat, qui magnum illum *Trium Augg.
Austriacorum Archiatrum*, *Johannem Cratonem*, *Jacobum & Pe-
trum Monavios*, *Schillingos fratres*, *Rhedigeros*, *Wackerios*, *Bibranos*,
Scultetos,

Scultetos, *Reichelios*, *Tilenos*, *Bucetios*, *Opitios*, aliosq; innumera-
biles, varias terras & gentes lustrasse, vel non crediderit, vel
ignoraverit. Quorum Heroum & Semonum egregia mo-
limina, & edita specimina, *Thuani*, *Scaligeri*, *Lipsii*, *Casauboni*
& aliorum Scripta immortalia debitis laudibus deprædicant.
Horum celebratæ prudentiæ indigenarum & advenarum ex-
emplis, etiam Tu, *LUTHERE Peregrinator*, invitatus aut ex-
citatus, absoluto Studiorum Civilium curriculo, hanc sci-
tam Prudentiæ civilis Magistram prudenter & circumspectè,
nè quid in te desideraretur, adjecisti. Ut verò dejecta & ab-
jecta est illa mens, quæ domi suæ desidet, & in angulo circum-
clusa quasi latet: at excelsior & diviniior illa est, quæ instar
aviculæ è nidulo suo in altum provolat & aërem mutat: ita
quoq; illa mens abjectior & obtusior est, quæ domi vitam foli-
tariam & cælibem agit: at illa erectior & excitator est, quæ
ineundæ societatis, & frænandæ libidinis ergò indivulsam
sibi comitem per labores, pericula, calamitates, per saxa, per
ignes, inseparabilem tam in adversis, quam in secundis con-
sortem, quam Uxorem dicimus, inviolabili & indissolubili
fœderis Conjugalis vinculo sibi adjungit. Ut in omnibus
aliis vitæ humanæ actionibus; ita & in gemino hoc negotio
peregrinandi, & conjugandi, providâ cautione opus est; nè
hæc duo cum solâ & nudâ tantùm voluptate, sed potiùs cum
multijugâ utilitate, fructu & fœnore fiant. Quemadmodum
enim Sagittarii, qui jaculum emittere cupiunt, non in vanum,
inane, & irritum dirigunt, sed rectum scopum præspeculan-
tur, quo colliment & collineent: Sic Tu, *optime LUTHERE*,
& Peregrinatione antè suscepta, & nunc in eligendâ Sponsâ
& ducendâ Uxore præmeditari visus es, quid utrobiquæ-
sieris, & quæras, nempè cum dulcissimâ & suavissimâ volupta-
te, fructuosam & uberem ususfructûs messem, & maturam
vindemiam. Noluisti enim tam in peregrinando, quam etiam
conjugando, brevem illam & perituram Voluptatem tantùm
sectari;

sectari, nisi & illam utilitatis ubertatem primariam, & duraturam assequaris autumnitatem. Quod Coronarii solent facere, qui bellissimas saltem herbas, & selectissimos flores, stuppis aut corollis ingerunt & connectunt, levi aut nullâ Medecinalium & salubrium herbarum & florum adhibitâ curâ: itâ nonnulli peregrinatores, vel potiùs divagatores, ac acerbiproci, & præcoces Nympharum aucupes, tantum res voluptatum, illecebrarum & libidinum, relictâ & procul habitâ veræ utilitatis ratione, quærunt & affectant. Tu autem, *optime LUTHERE*, ut plura antehac in peregrinando; ita & nunc in Uxore ducendâ, ad mentis cultum, & salutem refers, quàm ad cultum, habitum, & externos sexûs mores attendisti. Sanè non levis est formæ gratia & Venus. Et pulchritudo tum in brutis animalibus, tam feris, quàm cicuribus, volatilibus, reptilibus, natatilibus, tum in rebus inanimis; quantò magis in capacibus rationis & orationis hominibus, alliciendi vim & efficaciam habet! Formæ decor est felicitas corporis, divinæ plasticæ accessio, & urbana quædam divinæ auræ vestis & stola. Et profectò nihil præclarius est, quàm formosa anima in formoso corpore: quod Latina Siren etiam accinit:

Gratior est pulchro veniens è corpore Virtus.

Formæ decus & gratia, iudicio Calasiridis Græculæ amicæ, quandam ad conciliandum adspicientium benevolentiam vim habet & virtutem. Carneades etiam Philosophus, ille novæ Academiæ auctor, formam regnum absq; satellitio, omnibus gratum & optabile ideò nuncupavit, quod nimirum id, quod velit & jubeat, citra violentiam leniter & molliter persuadeat & insinuet. Ut verò in utroq; quidem sexu, itâ maximè in sequiori præstabilis & commendabilis est pulchritudo; quam in maribus *dignitatem*, in foeminis *venustatem* nonnulli interpretantur. Quod verò in Juvene & Viro non contemnenda sit formæ excellentia, rationem Plinius Junior scitè adfert his verbis: *Debet hoc castitati puellarum quasi præmium*

mium dari. At in foeminâ palmam præcipuè meretur pulchritudo, Afranio interprete:

Formosa Virgo est. Dotis dimidium vocant

Isti, qui dotes negligunt uxorias.

Quamobrem, SINCERE LUTHERE, Te CANDIDA seu ALBINA Tua, formoso suo Corpore, & eleganti mente, ad se contemplandum, æstimandum, & amandum allexit. Quid enim formâ illius aliud, quàm tacita, sed casta lena, & conciliatrix honesta? Quid capilli? gratæ compedes: Quid ejus frons? Gratiarum sedes. Quid vultus? amoris & benevolentia proxeneta & pararius. Quid oculi? sunt amoris viæ, duces, & Coræ, seu effigies quasi ludentium puerorum. Quid genæ? Venerum inerrantium orbiculi. Quid labia? Charitum pocula, in quibus animæ columbatim quasi casto basiorum commercio, promiscuè reciprocantur. Quid lingua? blanda Suadam mulla loquens, & quædam Verticordia Venus. Quid manus? aureum vellus, bombyces, & tenuissima serum lana. Sed ut picturâ quantumlibet regiâ & egregiâ, versatiles & circumerrantes oculi, ad breve temporis momentum delectantur: sic omnis hominum locorumq; varietas, novitate, primo adspectu, & levi sensu, nos capit & tenet, sed ad breviculi temporis punctum. Ac ut medicamenta minus valida & potentia, minus noxios humores extrahunt, aut tollunt, sed movent & turbant: sic vana rerum, fugacium & fluxarum delectatio, in nobis tempestates, & fluctus cupidinum & libidinum, irritat & adauget. Sicut enim Paris ille Homericus ex acie profugus, in transitu & fugâ, reciprocatâ furtim basiis & osculis inermibus, leniter & desultoriè oblectatus est: sic pleriq; relictis seriis, & fructuosis, voluptuaria modò oblectamenta venantur & aucupantur. Quamobrem, ut à Voluptate, dulcissima illa pelliçe & illice (quam tamen, si cum recta ratione & modo attemperetur, non duro & superbo Catonis supercilio, prorsus dampna-

damnamus) nos ad veram & feriam utilitatem conferamus, eam tibi primariam palmam, & metam, in oculis & animo figere voluisti. Ut autem ii, qui in longinquas terras abiturunt, temporis, locorum, studiorum, & sumtuum rationem habere debent: ita & Tu in utroq; Peregrinationis & Matrimonii negotio, tecum diu deliberaſti, quid ſemel ſtatueres, ac quomodo illis requiſitis probè viaticatus eſſes. Nam ut primum in natali Sileſia ſolo, ac Puschkovienſi Ducatûs Svidnicienſis agro, Patre Reverendo Viro Henrico Luſthero, & piſſimâ Matre Hedvige Hübneriâ, natus, ac in ſacro Regenerationis lavacro renatus, ac Angelico GABRIELIS nomine, AVO TUO (qui Johannis Luſtheri, ex magni Germaniæ Eliæ, MARTINI LUTHERI profapiâ oriundi, Civis olim Eiſlebienſis filius fuit) cognominis factus eſ; domesticâ priûs ipſorum Parentum inſtitutione præculturus, & in Chriſtianâ religione ac timore Domini præformatus eſ, ut Parentes de te ex primitiis pueritiæ editis, bonam de te ſpem conceperint, ex tenerriſſimo hoc ſurculo olim altam & proceram arborem futuram eſſe. Quare, ut boni Olitores, qui maturè tenerorum ſurculorum raticnem habent: ita & tui Parentes feriam ſui filioli curam tempeſtively habuerunt, eumq; ſideli literarum & morum culturæ commiſerunt. Parvulus itaq; puellus, & bonæ mentis alumnus, ac futurus Palladis & Mercurii pullus, ſtatim in primis pueritiæ annis, ſedem ac Magiſtram ſtudiorum Svidnicium naſtus eſ, locum ingeniorum cultu & ſotu nominatiſſimum; ex quâ Scholâ, & bonarum mentium Palæſtra tot docti, tum artibus pacis, tum belli eminentes, quot ex equo Trojano fortiſſimi bellatores, prodire. Ibi ſub ſideli inſtitutione, & vigilantî inſpectione Epicharmi ibidem celeberrimi, Bartholomæi Stirii, Philoſophi acutiſſimi, & Oratoris eloquentiſſimi, ac in primis, in publicis Diſputationibus, elogio & iudicio ipſius Academiæ Viadrinæ, Conciliatoris, Ariſtotelicæ Philoſophiæ cum Ramoerâ feliciffimî, Græcè & Latinè doctiſſimi Viri, Summi Scholæ Svid-

Svidnicienſis Præfecti, quem vulgò Rectorem vocant; ut & adminiculis diligentiffimorum illius Collegarum, Johannis Hartmanni, Michaelis Cælii, & Henrici Cloſii, Trigæ Palæmonum Svidnicienſium clariſſimæ, in ſtudiis paritèr & moribus non contemnendos aut poenitendos feciſti progreſſûs. In illâ bonarum Mentium Officinâ, non deſultoriam operam poſuiſti, ſed nobile ſexennium tranſegiſti, ac diutiùs ibi conſediſtes, ut nimirum poſitis & Rationis & Orationis Græcæ & Latinæ fundamentis, demùm cum laude in Academiam, tanquàm in graviorum ſtudiorum mercatum te conferre poſuiſſes; niſi infidelitas temporum, & pericula ſtatûs, pulſis cum Orthodoxæ Religionis & bonarum literarum Doctõribus, te quoq; ſedè illâ deturbafſent. Hinc prima Conſtantiæ maſculæ edens tirocinia,

— — — *Mediis tranquillis in undis*

ſians ut dara ſilex, & vel Marpeſia cauſes,

in lare ſecreto, & anguſto nidulo latuiſti & jacuiſti, niſi quod nocturno incendio ſomno ſopitus poenè exſtinctus & obrutus fuiſſes, niſi divina Providentia, Te Angelico præſidio munitum, ab interitu, rebus majoribus utilem aliquando reſervafſet. Omnibus ita in novum ſtatum mutatis, cum vix ulla ſpes meliorum affulgeret, Reverendus Pater Tuus, Te, Wratiſlaviam, purioris Religionis & Libertatis integram, tanquàm in tutam aliquam coloniam tranſtulit, ac Te Scholæ Mario-Magdalenaæ, quæ tum ſub Recturâ ſubtiliſſimi Philoſophi & Diſputatoris accuratiſſimi, Jeremia Tſchonderi erat, credidit: in primis verò ſub privatâ curâ & directione, Chriſtophori Schvartzbachii, Viri & Græcè & Latinè erudiſſimi, & Mathematici non contemnendi, Te habuit, apud quem præcipuè in Rationis diſciplinâ non exiguos edidiſti proſectûs. Quia vero currente eo ipſo anno morbus Te inſiſit ſubitus & inopinatus, Parens ægrotum meliore domi tractatione habendum, Puschkoviam in patriam recepit: qui tamen ipſe brevi fatali

fatali morbo involutus, benè meritam, de Ecclesiâ Christi in his terris militante, animam DEO suo Sospitatori resignavit, ac orbam Ecclesiam *Paschkoviensem*, & domum suam reliquit. Hoc defuncto, *Mater sua*, Matrona Virilis animi & curarum Te W ratislaviam remisit, ut ibi incontinuo Hermathenæ studio, telam cœptam detexeres: Ubi veteris tui Præceptoris *Henrici Cloſii*, tum Svidnicio recens extorris, scholam privatam præprimis frequentasti, ac nobile sub eo studiorum triennium absolvisti: quale olim *Arnoldus Clapmarus*, Patricius Brementis, in peculiari Libello præscripsit, quomodo nimirum Adoleſcens Nobilis & Reip. destinatus, humaniorum literarum ac linguarum cursum feliciter excolere possit. Anno enim hujus seculi XXXIII. post festum Paschatis in Athenæum Marchiæ Brandenburgicæ *Francofordiam*, Deo sic annuente, & suadentibus Præceptoribus tuis (non more stultæ juventutis nostræ, quæ plerumq; cruda studia in Academicam lucem & conspectum doctorum Virorum, cum damno & ludibrio suo, præposterè propellere solet) Studiorum Juris, Politices & Historiarum, cognatorum quasi & consanguineorum, maturandorum gratiâ, à Tuis ablegatus es. Id quod singulare Providentiæ divinæ argumentum interpretatus es, quod non nisi divinitus è publicis belli tum gliscentis tempestatibus, & insuper latè grassantis & depopulantis plerasq; Provincias, Urbes & agros, ac præcipuè Silesiam, pestilentia contagio, in tutum & quietum portum abductus fueris. Eo enim anno tota belli civilis sedes Patria nostra exstitit, & Svidnicium arena fuit, tam Cæsareanarum, quàm Saxoniarum, Copiarum; ut, quicquid à Marte truculento salvum & intactum mansit, à pestilenti lue & Morte funestâ tabidum perierit: *qua etiam charissimam Matrem Tuam & duos fratres absorpsit.* Sed in communi illo naufragio, quod etiam Tuas reculas involvit & immerſit, Tibi semper illud magnum ac propè divinum, NON MOVERI, NON CONCVTI, animo fixum sedit

sedit: & quod magnæ indolis signum est, semper meliora sperare es solitus. Præcipuum autem calamitatis Tuæ remedium erat seria in literis occupatio, & strenua, quæ Te docilem jugiter exercuit, industria; cum sub Consultissimi Viri *Matthæi Coldebacii* Jcti, & Antecessoris celeberrimi hospitio, contubernio, & diligenti manu ductione, usus, inter iteratas Francofurti oppugnationes & expugnationes, salvus & incolumis, DEO Servatore, exstitisti, & egregios in Juridicâ, propriâ Reip. gerendæ Scientiâ, progressus fecisti. Quemadmodum verò peritus nauta, cum videt immodicis fluctuantis maris tempestatibus cedendum esse, vel ancoram jactit, vel ad proximum portum, nè navis faciat naufragium, sese recipit: ita Tu in munitissimam arcem, ac propè inexpugnabile Germaniæ munimentum, *Cüſtrinum*, metu imminentis & incubantis hostis, securitatis causâ secesisti. In quo tuto asylo Generosi & Nobilissimi Dn. de Marwitz Consiliarii quondam Electoralis dignissimi, liberorum institutioni præfectus es, ac in eâ statione per integrum propè biennium mansisti. Eo tempore Tibi, à Magnifico & Eminentissimo Viro, *Frischio*, Comite Palatino Cæsareo, *Electoris Brandenburgici* Consiliario, & Consistorii Præsidi, parario *Coldebacio*, Tuo ante hac Hospitali Apolline, *Laurca Poëtica* oblata est. Quem tamen Honorem veteribus quidem usitatum, sed nunc in Germaniâ potissimum in circulis ac triviis tritum, modestè & verecundè deprecatus es, cum scias *Poëtas nasci, non fieri, & multos laurigeros, paucos Phæbos esse.* Cum verò currente XXXVIII. anno in Silesiâ paulò belli metus & motus interquiescerent, & *Cüſtrinum* pestilentiali contagio intabesceret, navi indè vectus W ratislaviam appulisti, tum salutatum Tuos, tum à tædio priorum calamitatum respiratum. Interea dum respiceres Marchiam, quæ tibi reversuro Spartam veterem diu reservabat, DEUS, fortunæ tuæ Rector, Te aliò direxit, ut in *Borussiam* diverteres, cum antiquâ virtute & fide Tibi probatus

amicus *Georgius Stirius*, cui ea nobilis provincia initio oblata erat, quam propter causas, quas domi novit, recusarat, Te vice & loco sui, apud Generosum Dominum *Gerstorffium*, Bohemiae Baronem, qui tum Thorunii temporum tempestate exactus, DEO & sibi vixit, commendaverit. Quam stationem, cum spe futurae Peregrinationis, arripuisti, ubi praestitâ prius fide & diligentia, tanquam Ephorus, cum *Juniore Gerstorffio*, & ejusdem propinquo *Dobrzenscio*, Consiliario nunc *Brandenburgico*, & in Aulâ Svecica Actuario Ordinario, paulò post in Bataviam, nominatissimam illam Martis pariter & Armatae Palladis Palæstram transmissus es; ac praecipuè Lugduni Batavorum, studiorum & morum excolendorum causâ usq; in tertium annum confedisti, ac illustria non tantum Bataviae, sed & universi politioris Orbis sidera, *Claudium Salmasium*, *Danielem Heinsium*, *Marcum Zverium Boxbornium*, *Bernhardum Schotanium*, summum Jctum, alios, oculis, auribus, ore, vidisti, audisti, usurpasti. Tempore illic, tanquam inæstimabili thesauro benè & laudabiliter collocato, anno XLIII. hujus seculi, mandato & voluntate Parentum Generosae illius Juventutis, in Galliam cultissimam & politissimam terrarum te contulisti, ac generosos illos Bonae Mentis Alumnos partim *Salmurii*, partim *Aureliae*, Urbibus Galliae celebrioribus, ac in ipsa Galliae Epitome, *Parisiis*, discendi & proficiendi causâ usq; in sequentem annum detinuisti. Exinde in alterum quasi Orbem, aut à reliquo divisum, Britanniam transfretaisti, ejusq; metropolin Londinum, tum Rege, cum Curia Regni Civile bellum gerente, visitaisti: sed viso turbato illius Regni statu, tutius in Flandriam & Brabantiam concessisti, ubi *statum Regium*, *Bruxellensem pompam*, & *Antverpiensium Admiranda* pellustrasti, postea in Batavium regressus es: ubi praeter Leydense Palladium, *Curiam Ordinum Foederatorum Hagensem*, Amphyctionum consessui non absimilem consideraisti, Legatos Regum, Principum, & Rerum-

publi-

publicarum, observasti, & alia Ratione Status videnda oculis usurpasti. Quia verò facilius crescit dignitas, quam incipit, & prior expeditio posteriori soleat esse instrumentum, resignatâ apud *Gerstorffios* inspectione, eorundem Tibi datâ occultè commendatione, aliam non dissimilem nactus es provinciam. Nam Generosissimus Dominus *Carolus Zaradecius*, L. B. Tibi Ephoro, *LUTHERE commendabilis*, maximum natu filium suum, Moraviae Juventutis florem illibatam, erudiendum & expoliendum studiis Civilibus & moribus aulicis, commisit. Cum verò eo tempore informis & aspera hiems, suscipiendis itineribus importuna, faviret, *Lugduni Batavorum* propriis sumtibus vixisti, donec ineunte Vere in Borussia trajiciens, spem *Zaradecianae familiae*, Tuæ prudentiae & fidei commissam, trans *Gedanum*, Balthici maris promontorium, per *Lubecam* Hanseaticarum Civitatum matrem, *Hamburgum*, opulentissimum Hansæ Emporium, & *Amstelodamum*, splendidum rerum toto Orbe quaesitarum theatrum, *Lugdunum* usq; *Batavorum*, veterem Hospitalem Tuam Patronam, traduxisti; ac ibi Palladium omnis Sapientiae divinae & humanae cum Eloquentia Civili salutastis, ac per integrum biennium commorati, defunctorum monumenta, & adhuc superstitem magnorum Virorum viva & spirantia simulacra contemplati estis. Cum autem anno XLVII. Illustres Exequiae, Illustrissimi Excellentissimiq; Principis Aulici, *FRIDERICI HENRICI*, summi Ordinum Foederatorum terrâ mariq; Archistrategi, Delphis, in avertis Conditoris deponendi, sumtuosissimâ & speciosissimâ pompâ, celebrarentur, ei Actui cum Tuo *Zaradecio* adesse & interesse Spectator voluisti. Qui solemnitate publicâ finita per provincias Foederati Belgii insigniores, & celebriores Urbes digressestis, ac arces, munimenta & propugnacula validiora pellustrastis. Quo peracto in Galliam cultissimam terrarum perrexistis, ac ibi per integrum annum & semissem commorati, partim

Lutitiae,

Lutetia, vero Galliae Compendio, partim *Salmurii*, intra moenia Urbs exigua, sed extra moenia suburbium eleganti, & *Burdegala*; Urbe, Curia & Amphitheatro nobili, ac aliis in locis celebrioribus substitutis. Quia verò in Gallia oportuna Tibi occasio erat petendi *Academicos in Jure Honores*, quos *Licentia* vocabulo tritissimo appellant, in *Academia Bituricensi*, quae praeter ceteris Galliae ac externis Academiis propter *Jurisprudentiae studium* principatum poene hactenus obtinuit, & nutritrix & alitrix celebratissimorum *Juris-Consultorum*, nominatim, *Alciati*, *Equinarii Baronis*, *Rebuffi*, *Balduini*, *Duareni*, *Contii*, *Donelli*, *Hotomanni*, *Cujacii*, *Mercerii* & aliorum innumerorum habita fuit, meritisimo Tuo LICENTIATUS JURIS UTRIUSQUE ibi creatus enituiti. Quamquam Tibi, à *Decano Facultatis Juridicae Doctrina*, fastigium Honorum Academicorum, ultrò oblata fuit, tamen modestè eam detrectasti, & suspendi tam diu voluisti, donec melius Tibi de loco & Sparta aliqua digniore prospectum fuerit. Ut autem Medici in Italia, & praecipuè Patavii, in Gallia autem *Monspeli* creati, magno apud Germanos sunt honore: ita quoque *Juris Doctores* in eadem Gallia *Gebani Aurelianorum*, aut *Avarici Biturigum* creati, eodem loco & precio habentur. Exemplo nobis sint, instar omnium, Patrum nostrorum memoria, celeberrimi *Duùmvi*, *CAROLUS HÖRNIG* à *Weigwitz*, *Georgii I. Ducatus Wratislaviensis Praefecti* filius, *Otthonis*, *Juris Utriusque Doctoris*, *Consilii Episcopalis Nissen* frater; & *SEBASTIANUS GERSTMANNUS*: quorum ille *Patritius Wratislaviensis*; iste *Boleslaviensis*, ambo in celeberrimam *Aurelianensium Academia*, summos *Doctrinae Juridicae honores*, cum summâ laude & praedicatione adepti sunt. Quo honore foris impetrato utrumque dignum honore & admissione omnis Germania, *Aula Augusta ipsa*, atque omnes *Curiae* dixerunt, habuerunt, suspexerunt. Ex quo ille à *Johanne Cratone*, *Consiliario* & *III. Imp. Archiatro* meri-

meritissimo, *Patrono suo magno*, in *Aula Caesarea* de meliore notâ commendatus emerit: hic verò in *Academia Francofurtanâ Antecessor summæ dignitatis & celebritatis* existit, atque insuper *Caesareus juxta atque Electoralis Brandenburgicus Consiliarius* eminuit: qui etiam huic *Serenissimo Hero suo*, ut in aliis negotiis illustribus, ita in *Legatione perhonorificâ*, quam cum *Saxoniae Septemviro*, ad *Supremum Romano-Germanici Imperii Tribunal*, quod vulgò *Cameram Spirensem* vocant, obiit, fidam navavit operam. Ut vana & fallax est vulgi opinio, *Doctores* in Gallia declaratos & creatos à *Camera Imperii*, & aliis *Judiciis*, *Synedriis*, & *Dicasteriis*, reprobari & rejici. Etsi autem illi *Honores virum* non faciunt, tamen eum ornant & decorant: & nonnulli titulos & dignitates mereri malint, quam ambire: tamen petere & ambire honestis modis, non probrosum aut dedecorosum est. *Maestus* igitur *Academico illo honore & titulo*, anno *XLIX.* in *Bataviam* regressus, per hiemis rigorem *Lugduni*, usque in *Ver* sequentis anni haesisti; quo *avocatus cum Zaradecio* in *Superiorem Germaniam* digressus es, nè (ut plerique *Peregrinatores*, qui *exteras terras tantum invisere solent*, patriae suae incuriosi, quibus vile est, quicquid domi natum,) in *Patriâ peregrini & alieni* essetis. Sub discessum autem Tuum oblata Tibi est *lauta Ephoria*, apud *Per-Illustrem Generosissimumque Dominum Joachimum Fridericum L. B. à Blumenthal*, *Sac. Caes. Majestatis Consiliarium Aulicum Imperialem*, *Serenissimique Electoris Brandenburgici Consiliarium intimae admissionis*, & summum *Ducatus Halberstadiensis Praefectum*, qui *filium suum Christophorum Casparem* *generosae Marchicae Juventutis principem*, Tuo ductui & fidei regendum & dirigendum commisit. Quia verò bonâ fide obligatus eras *Generosum Juvenem Zaradecium Patri restituere*, iter Tuum per *Bataviam*, *Borussiam*, *Poloniam*, usque in *Superioris Silesiae tractum*, corripuisti, & *delicium Patri suo restituisti*. Etsi

C

autem

autem ille Senior *Zaradecius* à Te, LUTHERE versatissime Ulysses, postularer, ut cum suis ipsius secundo & tertio natu filiis Præfectus, in Italiam terrarum pulcherrimam & elegantissimam tenderes; tamen divinæ Providentiæ & desiderio *Illustris Baronis Blumenthalii* parère, quàm *Zaradecianis* postulatis satisfacere maluisti. Verùm cum *Baronis Zaradecii* nomine negotium quoddam in Borussia expediendum Tibi manus injiceret, serius, quàm speraveras, ad *Blumenthalium*, nempe ultimo Anni ejus Auctumno, venisti: ubi Colonix ad Rhenum Seniore *Baronem Blumenthalium* offendisti, qui Te, filio suo natu maximo ac ejus propinquo, non sine ampli spe promotionis futuræ, honorificè præfecit. Hinc sequenti anno *Halberstadium*, (ubi *Blumenthalius Senior*, nomine Electoris Brandenburgici Governator erat) cum Tibi commisso Juventutis principe comeasti, ubi per integram prope ætatem commorati estis; ac interim in *Comitatum Hohenst. insun;*, propter Sacramentum, quod Feudali vocabulo *Homagium* vocant, Serenissimi Electoris nomine suscipiendum erat, ut ceremonias & ritus ibi solemnes observaretis, contendistis. Dein mense Septembri Tu cum *Juniore Blumenthalio*, Comes Illustrissimæ Principis & Heroinæ, Domine *Sophiæ Hedvigis*, Ducis Holsatiæ, ad geminum Fratrum Saxonix Ducum, *Christiani & Mauriti*, & Sororum Principum Holsatiæ, *Christiane & Hedvigis*, Nuptiale festum, exstitistis, in quo varia Solemnia Ritualia, ludicra & seria Exercitia avidè spectastis. Finita hac Electorali Dresdæ celebritate, jussu *Per-Illustris Domini Parentis*, Lipsiæ in hyberna quasi secessistis; ubi commissos fidei Tux Discipulos, in Consanguineis quasi studiis Juris, Politices, Historiarum, & Eloquentiæ probè exercuisti: aded ut generosæ spei & expectationis Juvenis *Blumenthalium*, publicè orando, disputando, opponendo, respondendo, egregia profectuum civilium specimina publicè ediderit. Cùm verò Te ipsi præmonstrante, illustris Juvenis ille sciverit,

verit, Principis unius mentem non esse gubernatoriæ artis satis capacem, sed magna negotia magnis adjutoribus & adminiculis egere, disertissimam & Civilissimam præprimis Orationem Lipsiæ publicè recitavit, & recitatam publicavit, *De Principis aut Reip. inclita Consiliario: quam Per-Reverendo, Illustri, & Nobilissimo Brandenburgico Consiliario inscripsit*: in Signum & evidens testimonium, ut Serenissimus Septem-Vir, & Venerandum ejus Consilium perspicerent, ipsum *Juniorem Baronem*, amœnam esse *florum vallem*, ex quâ ingens *mesis salubrium plantarum & frugum expectanda*. Quia verò *Prudentia Civilis duo sunt Parentes, usus Pater, & Memoria Mater*: illum potiorẽ huic minori anteferendum esse, *Per-Illustris Senior Blumenthalius* semper judicavit, ideoq; filium suum *Reip. Candidatum*, à nudâ literarum Civilium cognitione, ad praxin civilem, sive Usum, h. e. experientiam humanarum rerum ex visu & tractatu comparatam, à Te deduci voluit, ut ab illustribus exemplis propinquis, non remotis, domesticis non peregrinis proficeret, atq; per vestigia paterna grassatus ad agendum, paulatim deduceretur. Commoda autem & peroportuna occasio experientiæ capeßendæ tum temporis obvia erat, cum anno LII. Augustissimus Imp. *Ferdinandus III.* Optimus Princeps, Pragæ Universos Electores Principes comiter & humanitè ad se (quò etiam invitati per interstitia dierum, singuli comparuerant) ad ardua Imperii negotia præliminari deliberatione prælibanda, invitaret, in Comitatu Electoris Brandenburgici, cum Tuo illustri *Juniore Blumenthalio* interfuisti, ac Supremum Caput cum plenissima Majestate, & Superiora Capitis & Corporis Imperialis Membra, Octo-Viros Universos & singulos spectasti. Ut enim serenum Cœlum, Sole, Lunâ, & cæterorum siderum Ducatu illustratur: ita quoq; Cœlum Imperii, Concursu hoc & quasi Concilio maximorum Luminarium mirificè illustratum fuit. Hinc ab una solemnitate ad aliam, videlicet in *Johannitici Ordinis Arcem*,

Sonnenburgum dictam, in qua Actus creandi Equites D. Johannis, quem etiam ante prævideras, concessistis: ubi Illustrissimus *Mauritius Comes Nassovius, Equitum illorum Magister* omnium primus creatus est: post quem plures Comites, Barones ac Nobiles, & inter eos etiam *Junior Blumenthalius*, etsi ætate adhuc minorensis (septendecim enim annos tùm natus erat) *Eques D. Johannis* creatus, declaratus, & publicè proclamatus est. Cùm verò nullum sit tam clarum statim ingenium, ut emergat, nisi ei materia, occasio, fautor commendatorq; contigerit; ita prævia materies expediendarum rerum, aurea occasio apud tantum Apollinem Hospitalem, qui Te Principibus facillè commendare possit, occurrit; nimirum Eminentissimus *Blumenthalius Senior*, Optimus Tuus Proxenetæ, qui Te Electori suo de meliore notâ commendatum insinuarat, ut laudatissimus Princeps, aspectis Tuis Virtutibus & meritis prioribus, Te *Aule & Camera Consiliarium* assumeret, ac in supplementum Honoris, Tibi beneficium Ecclesiasticum, quod *Canonicatum* vocant, conferret. Hoc tamen ab indulgentissimo Principe Tibi indultum fuit, ut Tibi jus & libertas foret, intempus aliquod *cum illustri illo Marchiaca Juventutis flore* peregrè ire, & domi agere. Ea verò Peregrinatio non exotica, sed Germanica, & usibus Tuis & *Baronis Junioris* commoda esse debuit; & reverà fuit. Nam vitiosa & detrimentosa, aut ad minimum infrugifera sunt ea itinera in longinquas terras, & ad exterarum gentes suscepta, si Ratio Statûs domi ignoretur; & ii postea tempore docendi alios, cum suo periculo discere incipiunt. Eapropter sequenti Vere anni LIII. in Comitatu *Illustris Baronis Blumenthalii, Principis Legatorum Brandenburgicorum*, per Misniam, Thuringiam, Vogtlandiam, trans Jenam Salâ fluvio irriguam, & Academiâ nobilem, Bambergam, veterum olim Comitum Bambergensium, nunc Præfulum sedem, & Norimbergam, medullium Germaniæ, bonis legibus, moribus ac institutis, Venetæ Reip.

æmulam,

æmulam, & alia celebriora loca, in Comitata Electoralia, Augustam Vindelicorum, perrexistis: ubi solemnia, in Germania per tot secula usitata Ritualia in Electione Romanorum, Regis, spectastis, ipsum Imp. Augustum cum Columnis suis Imperialibus, & alia visu digna observastis. Peractâ Augustæ Electione Regiâ, *Monachium*, Urbium Germanicarum, pulcherrimam, ac arce magnificentissimâ splendidissimam, transiistis, ubi divitias & lautitias antiquæ Domûs Bavaricæ spectastis; ibiq; tres Ecclesiasticos Electores, & Archi-Cancellarios, & alios excelsos Principes oculis usurpastis. Hinc vestrum iter iterum per Augustam Vindelicorum rectâ Ratisponam directum erat, ubi Augustissima Imperii Capita duo, Ferdinandos III. & IV. Ordinum nonnullos per se præsentis, alios per Legatos plenipotentes comparentes spectastis: ubi etiam præprimis mirabilis & memorabilis fuit Actus Coronationis Regiæ vobis visus, & Cæsaris ad Ordines Imperii Consultandarum rerum Summa, quæ præsentibus omnibus Imperii Collegiis ore proposita, & scripta communicata fuit, audita. Ratispona discedens cum *Barone Tuo* in transitu Erfordiam & Islebium, oppidum ditionis Mansfeldicæ, patriam magni Gentilis Tui MARTINI LUTHERI, ejusq; Musæum & natalem locum salutasti. Hinc aliquandiu mandato Illustris Domini Parentis in *Academiâ Juliâ* commorati, Manes *Cornelii Martini, Johannis Casilii, Hentici Meibomii*, ac præsentia Virtutum simulacra, *Calixtum, Conringium, Schraderum*, aliosq; ibi viventes & sentientes ibi miraremini & amplexaremini. His ita visis & pensatis, de justo tempore, destinandis locis, instrumentis & viaticis, ad suscipiendam Peregrinationem salubrem prospiciendis, nemo saniorum, Tibi controversiam aliquam movebit. Nam, nè postea Te præposteri facti unquam poeniteret, noluisse cum crudo adhuc adolescente *Lipso* excursore, eandem querelam & cantilenam, canere, quasi scilicet eundem errorem erraveris, quem pleriq;

C 3

hodie,

hodie, intempestivè hinc & inde divagantes, qui Peregrinationibus inutilibus, nè dicam noxiis, quæ *Judicium*, hoc est, solem & salem, ac animam, ac *delectum* videndorum & cognoscendorum, hoc est, Virum maturæ ætatis & concordantis rationis, requirunt. Quod nostratum cum illo in animis & oculis nostris versantur, qui varias & longinquas terras, & maria in nullum postusum emensi & circulati sunt? aded ut pleriq; non bonas fruges, sed tantum glandes arripuerint, animi corporisq; morbos imbiberint, & domum secum apportarint. Eorum enim alios vada & vortices libidinum abripere, alios scopuli & cautes corruptelarum absorpsere, alios venti vanitatum aliò transvexere. Belgarum ille Sapiens, quod salvus & incolumis hoc fretum enavigaverit, nulli alteri, quam DEO Servatori suo ac Sospitatori, se adscribere est passus. Jam illi ipsi, qui aureum vellus sibi lucrificasse videntur, quid aliud ex hoc mercatu referunt, quam externos mores, mimicos gestus, quæ novo vocabulo & sensu *Complementa* vocant, (qualia quidem non omnino damno, si respectu personarum, loci & temporis modicè & decorè adhibeantur) simulationes Afranii, Dissimulationes Tiberii, linguarum exoticarum initiamenta, & inquinamenta vernaculæ, ac similes histrionias: nec bonorum morum ac virtutum specimina, vel leves saltem earundem scintillas & igniculos? Ut Appion ille imaginarius Polyhistor, cum Homerum ab Inferis evocasset, nihil eum interrogavit, nisi, *Unde domo?* Sic pleriq; istorum mimicorum adolescentum incommoda ista discendi & proficiendi occasione, inutilia & futilia tantum sectantur. Quare ut veram & seriam Peregrinationem, probas & laudas, susceptam scilicet maturo ævo, maturo judicio, (quippe dux vera & lux mera ad *scientiam, prudentiam, & mores est*) sic juvenilem nimis, præcocem & præcipientem procul à Te habuisti. Eiusmodi enim itiones sine duce, termino, & metâ sunt: similes navigationi & velificationi, sine reflexu ad portum, aut terram. Versantur & agitantur, instar volubilis rotæ, per abrupta

abrupta & præcipitia: per anfractus, montes, & rupes: jactantur in mari, circumaguntur variis ventis, & cum ad terram & ad seipsos reflectunt oculos, vident & sentiunt se non multum, sed diu navigasse & circumerrasse. Sed ut à triplici Peregrinatione, in quam longius, quam par est, excurri, ad *Matrimonium Tuum* regrediar: in eo sane prudentiæ Tuæ documentum apparet, quod id justâ ætate, & maturo judicio auspiciatò inis. Idem priscos Germanos, majores nostros fecisse, auctor est *Tacitus*, candidus Germanici moris & virtutis *Æstimator*. Qui postquam statuerat, *melius quidem eas civitates facere, in quibus tantum Virgines nubant, & cum spe votoq; Uxoris semel transigatur*: ætatem quoq; nubilem his verbis definit: *Sera Juvenum Venus, eoque inexhausta pubertas, nec Virgines festinantur. Eadem juvena similis proceritas, pares validiq; miscentur, ac robor parentum liberi referunt.* Quorum verborum occasione, *Johannes Bodinus* Jctus & Politicus Gallus, magnus quidem suæ gentis præco, sed obliquus in exteros obrectator, malignum Theonis dentem exacuit; ut tum alibi, tum ex allegato loco animadvertere licet; quod, ne eos propter continentiæ bonum, & vitæ innocentiam, ob quam olim & hodiè nostrates commendabiles, suis hominibus laxioris libidinis antepone cogatur, eam non continentiam & innocentiam, sed stuporem quendam & hebetudinem, & quasi quandam peccandi impotentiam interpretetur: ideoq; ob eam Germanos non magnoperè laudandos esse, in suis tam de Rep. Libris, quam etiam de Methodo Historiarum, Scriptis contendit. Quod dum facit aculeo ille & vulpio Gallus, aut facultatem, illam res malas atq; flagitiosas perpetrandi, rem expetendam concedat, aut DEUM ipsum non usq; aded sanctum & castum esse, turpiter sentiat, oportet. Ex illis autem Taciti verbis duæ Quæstiones matrimoniales oriuntur. prima; *Quid sit ætate Matrimonium incundum?* Altera; *An ætate maximè inæqualium matrimonia probanda?* Prioris Quæstionis momentum, & pondus,

pondus, ex ipsis Romani Scriptoris verbis eruendum est. Præceptum ipsum breviter & concisè ita expressum: *Quod sera Juvenum Venus esse, nec virgines festinari; eadem utriq; juvenia, pares validiq; misceri debeant.* Ratio verò duplex est præcepti illius: una; quia hoc modo pubertas futura est inexhausta, nec facilè fons abundantis hominum fertilitatis & copiosæ multitudinis exarescit; luculento ipsius Antiquæ Germaniæ exemplo; quæ procul dubio ob hanc intempestivi præmaturi; Conjugii fugam, tantâ semper hominum, frequentiam propullulavit & abundavit, ut quædam hominum officina dici meruerit, & in alias complures gentes, plurimas colonias, plurima quasi examina potuerit effundere. Altera Præcepti Corneliani ratio est, priori insistens; quia sic proceritati validoq; robori consulitur, & bona corporis habitudo in filios transfunditur; cum contra præmatura exhausti & enervati venere, non modò debile, enerve, & effætum senectutis corpus tradant, sed etiam infirmam & morbosam posteritatem, post se relinquunt. Ne verò hæc præpostera res exemplo careat, maximus Philosophorum, in Politicis suis id promittit; nempe Troezenios, populum Asiæ Minoris, variis morbis intestinis & hereditariis, acerbisq; funeribus afflictatos fuisse, & grassantis hujus mali causam, more aliarum gentium, communi, ex Oraculo Delphico, sciscitatos, id responsi indetulisse: *Immatura vos consumunt nuptia.* Allegatam oraculi illius crediti rationem, quoq; incomparabilis & verè admirabilis Heros Julius Cæsar, in suis Commentariis, de Bello Gallico, attingit, ubi de Germanis refert; *qui diutissimè impubes manserunt, maximam inter suos ferunt laudem: hoc ali statueram, ali vires, nervosq; confirmari putant.* Eâ de causâ nominatissimus Lacedæmoniorum Legislator Lycurgus, teste Plutarcho, certum nuptiarum tempus præstituit, & interrogatus de ratione hujus facti, prudenter respondit: *ut fatuus ex adultioribus validi procreentur:* cum ex crudo adhuc & immaturo

turo Conjugio sobolem infirmam, staturâ humilem & exilem, & ut plurimum foemellam provenire, quotidiana rerum magistra, quam Experientiam dicimus, testificetur. Huic Legislatoris Spartani sententiæ etiam Peripateticæ Philosophiæ Princeps adstipulatur, alias subinde rationes subnectens: quod scilicet, si liberi tam propè ab ætate imberbium Parentum suorum absint, minor erga hos propè æquales sit reverentia, veneratio, cultus & obœdientia. Quòd si verò ætate liberi nimium sint Parentibus posteriores, neq; hi ullum beneficium à liberis percipere, neq; illi à Parentibus senioribus ope aliqua juvari & sublevari valent. Porro puellæ nimis adolescentiores etiam in partu periculosius laborant, & plures, inter Herculeos planè pariendi labores intereunt. Hoc periculoso partus infelicis naufragio, utramq; illustrissimi Viri Stiliconis filiam, admodum Adolescentulam Honorio Augusto Imp. nuptum collocatam, periisse, illorum temporum Historiæ tradunt. Præterea ad continentiam & temperantiam quoq; conducit, elocare seriùs puellas, cum libidinosiores sæpè, rebus Venereis intemperanter exercitis, evadant. Deniq; non solùm finis Conjugii palmaris, qui est procreatio Sobolis, attendendus est, sed & diligens rei œconomicæ procuratio, & operum ad vitam necessariorum communicatio, qualis notitia non facilè comparatur, cum Conjuges adhuc per ætatis defectum, administrandæ familiæ & rei familiaris non sunt capaces. Cæterùm, quod Tacitus noster ratiocinatur, ut validos, sic ætate pares matrimonium ineant, non de Arithmetica æqualitate, sed Geometricâ proportionem accipiendum est. Hanc Historici sententiam Aristoteles ipse, Philosophus,

Quo minor est, quisquis maximus est hominum, ità declarat & explanat; quod scilicet Virgo octodecennis, aut præterpropter, vir XXXV. annos natus esse debeat: quippe iis ætatibus, ut simul & generare & gignere desinant,

D

cùm

cùm mares LXX. fœminæ L. annum attigerint. Sapientissimus Atheniensium Legislator Solon, apud Philonem, Hebræorum Platonem, ætates hominum numero septenario distinguit, & quicquid singulis septenariis conveniat, exponit, quintum præcipuè septenarium Conjugio aptissimum esse statuit. Sacrarum Legum, & Juris Interpretes tempus Pubertatis, in sexu virili decimum quartum, in sequiori duodecimum constituunt. Serram autem heic veteres ducunt reciprocam, cùm Hesiodus, Ascraeus Poëta XXX. annos in maribus, in fœminis dimidium illius ætatis: divinus Plato XXX. Viris, fœminis XX. annos, determinant. Veruntamen, quod pace tantorum Veteris ævi Sapientum dixerim, certum nuptiarum tempus præcisè non posse determinari & definiri autumo; cùm pro ratione diversorum seculorum, regionum, nationum, & temperamentorum, non tantum Vitæ quantitas & numerositas, sed & corporis constitutio diversimodè sese habeat. Spectanda igitur non tantum ætatis qualitas, quàm vegetus etiam & justus corporis vigor. Quapropter & Tu, LUTHERE *Peregrinator prudentissime*, post *triplicem* tuam fructuosam *Peregrinationem*, & triplicem ejus fructum, qui in prudentiâ, scientiâ, & Moribus variarum gentium aspectis & perspectis consistit; idem propè aut simile, in Uxore Tibi deligendâ præspexisti. Initiò autem, cum Tu ipse sis statæ & virilis ætatis, ac maturi judicii, ex præscripto Veterum illorum Sapientiæ Procerum, ætate bonâ, bonâ formi, & plenis nubilem annis, licito modo ambiisti, & virtute, ac fortunâ dignus, eam Te quoq; non indignam, DEO ita providente, Parentibus faventibus, & amicis in commune consulentibus, impetrasti. Prudentiam, illum animæ oculum, à Peregrinatione peti & imbibi, Homerus sapientissimus Poëtarum testis est locuples, sub speculo prudentissimi Ulyssis, quem Polytropon vocat, proposuit; qui interprete Romano Lyrico,

Mulio-

Multorum mores hominum spectavit & urbes.

Nam instituta gentium, ritus, mores hominum, formas Re-
rum publicarum non desultorio oculo, leviter libasti, sed rectâ
examinis justis lance expensa, hausisti. Nec ipse tuæ men-
tis oculo universa & singula inquisivisti; sed & ab aliis homi-
nibus, vivis & spirantibus, & mortuis Consiliariis, & mutis
magistris libris optimæ frugis, summâ cum curâ & diligentia
conquisivisti & imbibisti. Quis scitius & peritius, Te de
moribus, legibus, facie cujusq; provinciæ, & urbis, & de Ra-
tione Statûs, in viis, in hospitiiis, in mensis, & contuberniis,
indagavit & exploravit? Quis de Principibus, de Casibus
belli & pacis, accuratius Te investigavit? Quis de Ratione
Statûs Imperii Romano-Germanici, de Augustæ Domûs
Austriacæ Majestate, de Electoralium Domorum præemi-
nentiis, Ordinum prærogativis, Privilegiis & libertatibus,
in Sacris & Profanis, exactius Te expiscatus est? Quis me-
lius Te Cæsaris *Ferdinandi III.* entheatam Majestatem,
cum pari serenitate & humanitate observavit? Quis melius
Te, Serenissimi Regis Romanorum *Ferdinandi IV.* præclaras
minas, heroicas molitiones & serios conatus, ad Augusti Pa-
tris exemplum contendentes, observavit? Quis in distribu-
tione Ordinum Sacrorum & Collatione Titulorum melius
Te animadvertit, homines illustres, summâ ope coniti ad
ea, & eo impendi labores, unde merces expectanda sit egre-
gia? Quis in præstandis Sacramentis & Homagiis exactius
vidit, quàm nonnulli ad præsidia & gubernacula inviti fuerint
cogendi, & quantâ lætitiâ & inclinatione animi novum Præ-
sidem vel Præfectum loci illius incolæ susceperint, & reve-
reter habuerint? Ut verò providus & circumspectus, & cau-
tus in suscipiendis, proferendis, & conficiendis longinquis
itineribus exstitisti: ita quoq; simili providentiâ, circum-
spectione & cautione, in auspiciando statu Conjugali, uteris.
Non enim dissimili consilio usus es in eligendâ & ducendâ

D 2

Uxore,

Uxore, ac Julius Agricola, ambidexter pacis & belli artibus Heros; qui ad capeffendos domi & foris gerendos magistratûs & honores publicos in Urbem Romanam digressus, *Domitiam Decidianam, splendidis natalibus ortam sibi junxit. Idq; Matrimonium ad majora nitenti, decus ac robur fuit.* Post Matrimonium feliciter initum Candidatus ille dignitates pro merito assecutus est. *Sors enim quaestura (Taciti verba sunt) provinciam Asiam, Proconsulem Salvium Titianum dedit, quorum neutro corruptus est, quanquam & provincia dives ac parata peccantibus, & proconsul in omnem aviditatem pronus, quantalibet facilitate redempturus esset mutuam dissimulationem mali.* Simili modo, Tu etiam, prudentissime LUTHERE, ad graviora & majora munia nisurus, ante omnia de ineundo splendido Matrimonio ieriam suscepisti curam, nec tantum virtutum muliebrium, sed & natalium ac generis rationem habere voluisti, maximè Agricolaë Romani exemplo, & Historici monito adductus; quia illustre Matrimonium Viro & robur addit, & facilius emergere ipsum facit. Nec tertiæ rationis immemor fuisti, quam Plutarchus tibi suggesfit. *Ut enim, inquit, Canes & Equos nobis nobiles, & ex bonâ progenie ortos studiosè quarimus: ut in vitibus, olivis, arboribus, seminibus optimi generis ratio habetur. Quando potius Uxor ex meliori genere quarenda, cum sit consentaneum, talem & rectius educatam esse, & avita virtutis imitatricem fore.* Quamobrem, prudentissime procorum LUTHERE, quod ex numero Marchicarum & Berolinensium Nympharum choro, præ multis aliis nobilibus & nubilibus commendabilem, nympham & ætatis flore, & formæ decore, & virtutum fœminarum honore splendidam, ANNAM ROSINAM, Nobilis, Amplissimi & Excellentissimi Viri, MARTINI WEISII, Medicinæ Doctoris, & Serenissimi & Potentissimi Electoris Brandenburgici Consiliarii, & Archiatri meritisissimi Filiam, unicè delegeris, quæ tibi sola placeat, sanè indefæcati iudicii tui, & plenæ prudentiæ argumentum est certissimum. Non

ignotus

ignotus in ignotorum peculiare laudes descendam, cum alii præcones, qui propinquiorem & accuratiorem tam personarum, quam rerum notitiam habent, id ipsum melius facere possint: Non tamen oblitterandum est istud Elogium, quo Tu, *Sponse amabilissime, in literis ad Amicum familiaribus, Spem & desiderium Tuum* maestasti. Ornatam verâ Pietate & Probitate, Modestiâ, & Verecundiâ, quietâ cum Industriâ, sine ostentatione agendi; Palladis & Gratiarum artibus & niveis moribus excultam esse. Pater ejus, ultra XX. annos in Aulâ Brandenburgicâ hoc illustre munus obiit, adeo ut de eo illud Romani Lyrici dici potuerit;

Principibus placuisse Viris, non ultima laus est.

INGENIO & JUDICIO insigni valere illum Pœonem, testantur ii, qui ipsum propiùs norunt. Egregium etiam hujus rei indicium est, quod admodum juvenis, summos in Medicinâ Honores cum sumâ laude adeptus; ac statim prævisâ hominis Juvenis senili prudentiâ in Aulam adscitus fuerit: quo officio benè & laudabiliter functus est. Archiatri hujus etiam Uxor, & Mater Sponsæ, omnibus matronalium Virtutum & morum ornamentis enitere narratur. Sed ut à Prudentiâ ad Scientiam pedem protollamus, quam etiam in Peregrinatoriâ ac Uxoriâ palam ostendere visus es. Quam miremur fortasse, quod foris quæsieris, cum domi illi commodior sit sedes, atq; domicilium, & literarum studia quiete secretoq; magis, quam motu ac discursu gaudeant. Sed hanc sollicitudinem, tibi minuet ratio, si animum ad duplicem modum, quo ad scientiam illam itur, deflexeris. Illa enim aut ab Auribus, hoc est, Doctore aliquo; aut ab Oculis, hoc est, Libris, Sapientiæ, Prudentiæ, Scientiæ, mutis magistris proficiuntur. Libri quidem domi habentur, & in secreto lare aut secessu melius volvuntur: in Doctoribus tamen illis aliter ratio suadet. Quæ enim illa tam fertilis & felix regio, quæ felicissima omnia ingenia gignat, alat, & foveat? Quin sparsa

D 3

isunt

sunt illa, &, DEO ità dispensante, sua cuiq; terræ velut gemma, quæ emicet, & coruscet. Hos adire, hos audire, hos videre uniones, & è sacris illis pectoribus, avido ore & animo, limpidos doctrinæ fontes pro iudicii modo libare, & in Te derivare annisus es. Quis enim non tecum à *Claudio Salmasio*, omnium scientiarum & Antiquitatis promicondo doctior? Quis à *Daniele Heinsio* non eloquentior? Quis à *M. Zverio Buxhornio*, Taciti felicissimo Interprete, non prudentior? Quis à *Gabriele Naudæo* Bibliothecæ Mazarinianæ Præfecto, non multiscientior & peritior redeat? Horum Tu magnorum Semonum non auditum solum, sed & visum magni æstimaveris. Quia verò aliquis Sapiens sit Sapientum commercio, ideoq; verè felicem Te prædico, quod Tibi cum summis illis Viris multi commercii obtigerit, à quibus tanta tibi seges discendi profecta, apud quos tot gazas & thesauros colligere potuisti. In Belgio Armis & Literis nobilissimo, nullum propè vestigium posuisti, ubi non aliquod memorabile factum aut dictum in memoriam recurrit. Ibi Manes Auriacorum, Principum Libertatis Belgicæ Vindicum & Statorum, ac memoriam æternam recoluisti. Tot campos, in quibus publica Patriæ libertas multò sanguine redempta, trivisti: tot Urbes, Arces & Castella, spectasti, oppugnata & expugnata, quæ inexpugnabilia videbantur, & tamen ex hostium ore, & faucibus extorta fuere. Vidisti loca, in quibus Bella conclusa, Pax constituta æterna, aut temporariæ Induciæ pactæ sunt, cum Hispanis, Gallis & Anglis. Hæc magna, rara, memoranda non tantum animum scientem, sed & magnum, ac ad imitandum acrem & alacrem efficiunt. In Gallia vidisti Consilia Statuum, Curias, Regis & Principum Regii sanguinis partim Concordiam, partim Discordiam gliscentem, per Regni & Domûs Borboniæ Regiæ viscera, pugnas, oppugnationes Urbium, & Arcium, tot millium clades & strages; ac vetera etiam monumenta, & spirantia Virtutum simulacra.

In

In Germaniâ commotus & concussus vidisti, tot Provinciarum devastationes, tot vulnera & cadavera Urbium, tot rudera arcium & munimentorum, & alia vicissitudinum monumenta & documenta, oculis & animo usurpasti. In Angliâ funestas Tragœdias Caroli I. Regis securi amputati, & Caroli II. cladem acceptam, miras novi Protectoris Oliveri Cromwelli molitiones & machinas, ac Reip. mutationem, Consilia, Conspirationes, & id genus alia notasti. Nec adeò dissimilia in quærendâ & Conjugandâ Uxore cogitasti & curasti. Tu enim LUTHERE, ex genere Eusebies oriundus, in Dices & Suadæ domum & contubernium adoptatus, ex domo Palladiâ & Medicâ Tibi thori sociam quærivisti. Quæ studiorum & vitæ dissimilitudo, egregiam in posterum similitudinem, & concordem harmoniam conflabit. Quod verò multa sint in Medicina, quæ cum Jurisprudentiâ, hoc est, Scientia imperandi se assimilant, & Jcti, Politici, Historici, & Philosophi ac Medici animadverterunt. Ut enim corpora humana nascuntur, adolescunt, florent, senescunt, ægrotant, convalescunt, tabescunt. moriuntur: ità quoq; Imperia & Respublicæ nasci, adolescere, florescere, ægrotare, convalescere, tabescere & mori solent. Ut in morbis quoq; nihil est tam periculosum, quàm immatura medicina: ità in morbis Rerumpublicarum curandis nihil intempestivius est, quàm cruda & acerba medendi Via & ratio. Porrò cum Tu, Patriâ *Silesius*, *Marchicam Nympham ducas*, & *Marchica Virago Tibi Silesio nubat*; ea Patriæ diversitas illustre divinæ Providentiæ argumentum est. Affinitas etiam cum diverso genere ad generis incrementum facit. Si enim studia fuerint diversa, ut si alter sit è domo forti, altera è domo sapienti: hæc res admirabilem efficiet concentum: & qui ex Ejusmodi Conjugio sunt orituri, mirifico artificio similes & pariles erunt. Si etiam amborum Sponsorum genus contulerimus, similem simili jungi evidentè apparebit. Tu ex magni MARTINI LUTHERI profapiâ

profapia oriundus, Pastoris filius, ipse *Consiliarius Electoralis Brandenburgicus: Tua, Medici, Consilarii & Archiatri Brandenburgici filia*, Sponsa illius simillima nubit. Quod si ex nominum & cognominum vestrorum convenientiâ petenda sit apta Comparatio; Tu, *Sponse, Lutherus, h. e. purus vel sincerus*: illa *Albina*, bellè & concinne convenitis. Purum & sincerum Te esse fide & religione, purum & sincerum in honestatis normâ, purum & sincerum in omni vitâ & actione, liquidò constat. Quo ipso Lyrici Romani testimonio, *Integer vita scelerisq; purus*, aut quidam *Altius Sincerus* audire potes. Ut pura mens, sincerus animus, sincera fides, infucati amoris & individux amicitix sunt condimenta: itâ antiquis, *Alba & Candida* pro felicibus, atra & nigra pro malis & infamibus accipiebantur. Quare, cui tacere grave est, ab eo nec res magnæ sustineri posse, albo suo calculo idem Augustæus Poëta, fidelis arcanorum aulicorum custos, confirmat:

— — — — — *commissa tacere*

Qui nequit, hic niger est, hunc Tu, Romane, carreto.

AC magnus ipse Tullius, de corrupto teste, Sexto Clodio Phormione, hoc pro Cecinna pronunciat: *Nec minus niger, nec minus confidens, quam ille Terentianus Phormio.* Ut veteribus omnia auspicata credebantur, quæ *Alba & Candida* (ut alba & candida dies, faba, & similis notæ alia) fuerunt: itâ *sincerus & purus* Tu erga Tuam Sponsam, & Uxorem: & Tua *Albina*, aut *Candida*, in Te suum unicè dilectum, & *sincерum*, amoris & candoris invicem lucida eritis sidera & lumina. Quod si *Sponsa Tua* à Pallade seu Sapientia cognomen trahit, certè Palladii generis & sanguinis erit, & scitis ac peritis Gratiarum Operibus suæ scientiæ & sapientiæ specimina latè & longè ostentabit. Nec prænomina vestra sunt sine aliquo omine, gratiâ & Venere. Tuum enim *Angelicum, Gabriel*, denotat fortitudinem DEI, vel virum DEI, Te sponsæ tuæ coelitus quasi datum & demissum, indelectationem & gaudium:

Anna,

Anna, amabile Liliū; quod Sponsa Tua futura sit, Liliū inter spinas calamitatum amœnum, & alterum nomen *Rosina* promittit, quod ea ipsa meras rosas tecum locutura sit. Ut mascula Poëtria Sappho apud Achillem Statium pulcherrimè Rosam commendat: *Si floribus vellet Jupiter imponere Regem, Rosa inter flores regnum obtineret: terra est ornamentum, plantarum decus, oculus florum, prati rubor, pulchritudo coruscans, amorem spirans, Venereis conciliatrix, formosis foliis comata, nobilibus frondibus luxurians, calix Zephyro ridens.* sic Tua Sponsa est Tibi instar Reginæ domesticæ, domi Tuæ ornamentum, corolla rosea capitis Tui, amoris Conciliatrix, & calix Oculis Tuis renidens. Rixosa Xantippe Socrati suo sapientissimo, & morosa Taura Catoni suo cordatissimo, asperis & duris verbis lapides loqui visæ sunt: sed *Albina* Tua, *Tua Anna-Rosina*, rosas, Lilia & malsa loquetur & spirabit, & Poëtæ verbo, *quicquid calcaverit, id rosa fiet.* Deniq; ut à scientiâ ad mores, postremum quidem loco; sed primum dignitate, deveniam, ab hoc scopo, si Peregrinator & Procus aliquis aberraverit, à reliquis etiam declinabit; & priores duæ, Prudentia & Scientia inutiles & futes, toxica noxia sunt. Cætera sint speciosa, hæc res preciosa: illa ad ornatum potius, hæc ad apparatus faciunt. Senex ille Plautinus filium suum adolescentem catè præmonet:

Novi ego hoc seculum moribus quibus sit. Malus bonum, malum

Esse volt, ut sit sui similis. Et paulò post:

— — — — — *hi mores majorum laudant:*

Eosdem lutulant, quos collaudant.

Idem festivitatis & salis promus-condus alibi itâ differit: *Ille demùm antiquis est adolescens moribus.* Idem facetissimus Comicus præcipit:

antiquis vivito moribus: alter Latinorum Comicus hominem antiqua virtute & fide laudat. Tricordis etiam Ennii elogio:

Moribus Antiquis res stat Romana Virisq;.

Eo respectu Tacitus *Pisonem vultu habituq; moris antiqui & estimatione rectâ* censuit. Ac apud prisicos Germanos laudante

E

eodem

eodem Scriptore, *plus boni mores valebant, quàm alibi bonæ leges.* Sed ut Tiberius Cæsar apud illum eundem, æternum Annalium Conditorem, Tribunum quendam literis increpuit; quod ignarus antiqui moris ob iuventam esset: ita quoq; nostra cruda & ignara antiqui & probi moris iuventa, meritò argui potest, quod ultra modum & decorum sit novitatis & peregrinitatis studiosa. Nos hodiè plerumq; sinisteritatem illam novi moris in nostram Patriam traducimus, ut jam *mos & modus Seculi* vulgò in proverbium abierit. Ego quidem, ut antiqui moris, oris & decòris sum observantior, tamen nec probos nostri ævi mores improbo, & alienos ab illis planè damno. In moribus autem sequendis & imitandis duplex *Li, si* præceptum observasti, & ut bonos rectosq; annotares, & malos, corruptos & detortos evitares. Sed in bonis moribus, ut nudum tibi verum propinem, haud magna fortasse peregrinatio est. Latent enim occultè & sub velo quasi, probi & sinceri: ac in mediotullio pectoris nuda Virtus, non in vultu, aut in fronte, aut ore, locum habet: atq; ut inde extrahatur notitia, mutà experienciã & usu opus est, ad quæ peregrinantibus rarò aditus & accessus patet. Foris quæsitus externus cultus & habitus, scita elegantia, comitas, & urbanitas, decora, bella & concinna est. Quid in cultu, vestitu, manuum, pedum, & totius corporis conformatione & flexu deceat, & eniteat, id sanè politissimi Gentium Galli Te docuerunt, quibus ipsis rus nostrum inficetum & sordes diluere potes. Quæ sita autem hæc omnia, non affectata, tempestivè usurpata, non vanè ostentata sint. Quare non immeritò ridemus & spernimus istos histriones & propè personatos moriones, qui ab Italiã aut Galliã novi advenæ, nescio quos mimicos & circulatorios gestûs molestè usurpare, & delicias non civiles, sed viles, nec viriles, sed pueriles, facere solent. Sed cum illis ineptiis & nugamentis, in Peregrinatione etiam corruptos Seculi mores, & fucatas virtutum species, ac blandientia vitia, quorum vera vocabula amisimus, quorum foris magna seges & mare est

est vastissimum, cane pejus & angve fugere sciebas. Ut venena musto aut vino mixta, ex Medicorum scito, perniciousè viscera, & cor penetrant; sic peccata hæc confinia & inquinamenta vicina, virtuti & bonis moribus asita, aut etiam insita sunt. Multi enim si Galliam limis saltè oculis aliquando adspexerint, omnia Gallica; si Italiam leviter intuiti fuerint, omnia Italica; si alterum pedem in Hispaniam intulerint, omnia Hispanica; si in Angliã vix pernoctârint, omnia Anglica; & undecunq; tandem si peregrè redierint, omnia peregrina, mores, gestûs, ceremonias, vestitum, linguam, histrionica quadam levitate & temeritate, jactant & extollunt: ac omnia illa mores Seculi vocant, nec se veniam ineptiarum, sed laudem deliciarum mereri credunt. Qualem ejus farinae hominem *Lalum* quendam, qui omnia Gallicè fieri volebat, *Thomas Morus* sapientissimus olim Britannia suæ, faceto Epigrammatico graphicè depinxit. Ac naturæ ipsius ductu & flexu proniores & procliviores sumus, ad mala æmulanda; ut faciliùs deformia, quàm formosa, indecora quàm decora, inepta quàm apta, illepidi quàm lepida, inficeta quàm faceta, apprehendamus & imbibamus. Ut pictor levi manu, & volante penicillo, rugas, verrucas, nævos & maculas in facie, sed faciem ipsam haud tam facilè exprimit; Sic ingenium mentis candorem & probitatem laboriosè, nullo vero negotio, maculas & sordes animorum imitari discimus. Seridè igitur, *Peregrinator circumspicte*, advigilasti & providisti, quæ vitia cognata, vel amica cuiq; genti sint: siquidem, ut singulis hominibus, sic gentibus, suas laudes ornamento, suas labe dehonestamento esse, nemo saniorum dubitat. Spinæ igitur in oculis tibi erant, Gallica levitas & vanitas: Italica protervia & libido: Hispanicus typhus & Africanus fastus: Germanicæ comestiones & computationes, ac solemnis ebrietas: quæ tamen vitia & blandimenta Seculi singuli illi populi, sub velo comitatis, fiducia,

gravitatis, & hilaritatis tegunt, & blandientes illas pestes, ex perverſa judicii aurâ concipiunt. Quemadmodum verò mores inter peregrinandum bonos, decoros, concinnos, externos & internos probè obſervasti: ita quoq; in eligenda Sponſa, & ducenda Uxore, morum ſpeculum ſpectaſti. Ex Græcorum Hiſtoriis compertum habemus, eos olim creare ſolitos fuiſſe Magiſtratûs numero XX. qui mulierum ornatui præſent: ad quem morem Decima illa Muſarum Plautûs alluſit:

Ut matronarum hic facta pernoſit probè:

Moribus præfectum mulierum hunc factum velim!

Sed Romani à ſe ſpreverunt illum Græcorum morem, ut magnus ipſe Tullius in De Rep. Rom. Librorum fragmentis annotat inquiens: *Nec verò mulieribus Præfectus præponatur, qui apud Græcos creari ſolet: ſed ſit cenſor, qui viros doceat moderari Uxoribus.* Ita Sponſæ Tuæ moribus ipſi Parentes, & prudentes Præceptores Præfecti fuerant, qui pueritiam adoleſcentiamq; puellæ moderatè & leniter rexerunt & direxerunt. Ut autem, Tu **LUTHERE**, Vitæ potiùs quàm Scholæ didiſti; quò aliquando poſſes Remp. capellere, & ad clavum ſedere; ac ità cum ſapiente Julio Agricola *modum ex ſapientia retinuiſti*: Sic quoq; Parentes & Præceptores *Sponſam Tuam, modum tenere ſexu ſuo convenientem voluerunt, ut neq; nihil, neq; omnia diſceret.* Majorem igitur, animum virtute exornandi, quàm ingenium ſcientiis virilibus ad ostentationem formandi, rationem habuerunt; ex præcepto *roſii Belgarum Quintiliani* audientes: *Sic verò ſequiori ſexu liberales artes, ac doctrinarum ſtudia commendo, ut & Parentes, & Magiſtros, velim ad duo præcipuè attendere.* Unum eſt, quandoquidem ſcientia, etiam Apoſtolo teſte, inſtat: *nè virgines, diſciplinis imbutæ, alias præ ſe aſpernentur, & omninò moribus ſiant inſuavibus atq; acerbis.* Alterum, *ne nimis curioſe; eaq; etiam ſcire laborent, quæ ſatius ſit, neſcire; quando facta iſta qui narrat, docet.* Talis erat olim *Cornelia*, Scipionis Naſicæ

Naſicæ politiffima filia, quæ literis feriis & amœnis exulta, iis etiam moribus expolita fuit, ut procul haberet auſeritatem & curioſitatem, quibus aliæ juvenulæ infici ſolent. Hac etiam tam providâ Parentum & Præceptorum dexteritate, *Tua Sponſa*, pia, proba, modeſta, verecunda, pudica & obſequens evaſit. Eam itaq; à manu Parentum tam bene formatam & ornatam accipis; quam eadem manu & imperio leni, quæ maritalis ſunt officii, reges & diriges, ut nihil credat ſibi relictum eſſe, quam *obſequii gloriam.* Hoc autem tanquam domesticus ejus Præceptor conſequèris, quia puellam à bonis Parentibus natam, educatam, & formatam, ætate adhuc bonâ ductilem & flexilem ducis. Tales enim puellæ, teſtimonio & judicio Callicratidæ, Pythagoræi Philoſophi, marito primo nubentes, *facile ſecti inſtituiq; poſſunt; & ad diſcendum, verendum, amandumq; viros ſuos expedite ſunt.* Hoc Plinius, Atticus Romanorum Orator, exemplo Auguſtorum Conjugum, Trajani Optimi Principis, & Plotinæ marito ſimilitæ demonſtrat, quando ita diſſerit: *Tibi Uxor in decus & gloriam cedit.* *Quid enim illà ſanctius? quid antiquius? Nonne ſi Pontifici Maximo deligenda ſit Conjux, aut hanc aut ſimilem (ubi autem eſt ſimilis?) elegerit.* *Quam illa nihil ſibi ex fortuna Tuâ, niſi gaudium vindicat? quàm conſtanter non potentiam tuam, ſed ipſum reveretur? Eadem quàm modica culu! quàm parca comitatu! quàm civilis inceſſu! mariti hoc opus, qui ita imbuit, ita inſtituit: nam Uxori ſufficit obſequii gloria.* Hoc proprium etiam eſt & erit Tuæ Cajæ, ut Tibi Cajo reverenter aſſurgat, pareat & obediat. Sic etiam Tua *Albina* in decus & gloriam Tibi cedit; Te ipſum, non fortunam aut dignationem Tuam tantum reverenter habebit, civiliter tecum & fideliter aget, ac ſe alteram *Porciam* Tibi, tanquam *Bruto* ſuo, alteram *Arriam* Tibi tanquam *Pæto Thraſea*, & *Texenam*, fidam & probam, tibi tanquam *Agathocli* ſe probabit. Ut Julius Agricola, & Domitia Decidiana Conjuges beati olim, teſte Tacito, *mirâ*

Concordiâ vixerunt, per mutuam caritatem; ita Vos, miro & mutuo Concordiæ concentu vivetis; adeo ut primi Romanæ lyræ fidicinis voto meum adsonet:

Felices ter, & amplius

Quos irrupta tenet copula: nec malis

Divulsus querimoniis,

Supremâ citius solvet amor die.

QUamobrem ut dicendi finem faciamus, bonis Verbis & Votivis precibus, **D E U M** ipsum, Conjugii Satorem & Statorem ex animo sollicitamus, ut omnia, quæ in ipsius nomine facescitis, benè vortat: Conjugium hoc felix, faustum, fortunatumq; esse velit. Ut *Albina Tua Tibi Sincero suo fructus* Conjugii similes ferat, ac *albas quasi Gallinas* numerosâ serie pariat. Ut plures **LUTHERI** novi Atlantes Ecclesiæ & Reip. proveniant; atq; illa olim famosissima, propter unum illum magnum Germaniæ Herculem, & invictum monstrorum domitorem, **LUTHERANA** familia, nunc propè ad paucos redacta,

In Natis Natorum, & qui nascentur ab illis,
repullulet, reviviscat, reflorescat, annet & perennet.



*Eidem Nobilissimo Sponsorum Pari
antiquum illud FELICITER,*

L. M. Q. acclamat


Idem Autor

CHRISTOPH. COLERUS.

ET genus, & nomen nactus de gente **LUTHERI**,
A cànis tot Avis serò oriunde Nepos;
Ut tuus invictus jusus *Gentilis* ab alto,
Non olim abstinuit foedere Conjugii:

(Jungitur

(Jungitur huic sacro **CATHARINA BORENIA** amanti,
Nobilis ingenio, corporeisq; bonis.
Hac quia se gratà vinciri compede passus,
Dicta fuit lepto Sponsa **CATENA** proco.)
Sic tu sectatus Vestigia trita **LUTHERI**,
Pallados in studiis, docte **LUTHERE**, bonis:
In sociæ reliquo vitæ sectaris eundem,
Ut celi Phœben astra minora, ducem.
Namq; tuum venit in thalamum **SAPIENTIA** Virgo,
E tot purpureis nata **ROSINA** rosis.
Ut non è squilla ridens rosa nascitur udâ;
Sic non dissimili sangvine cretus homo.
Illa erit adversis adjutrix, inq; secundis;
Illa rolas inter saxa loquetur amans.
Ut vepres inter florum Regina superbit;
Sic bona mixta malis, sunt mala mixta bonis.
Hæc tibi, ceu fuerat magno **CATHARINA LUTHERO**,
Perpetuis veniat nexa **CATENA** rosis.
Hæc sapiens Pallas sapienti tradita Phœbo,
Pierides pariet mater amœna novas.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

BIBL.
RESERVA
VRAT.

W
M. P. R. L. JAN. 17
PROCEAN

